NONNULLA DE

SCARLATINA SINE EXANTHEMATE.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA

FRIDERICA GUILELMA

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCILIANDOS

DIE XV. M. AUGUSTI A. MDCCCXXXVI.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

EDUARDUS REHMET

SILESIUS.

OPPONENTIBUS:

E. ERNENPUTSCH, MED. ET CHIR. DD.
M. SCHULZE, MED. ET CHIR. DD.
A. ALTDORFER, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO DOCTISSIMO,

AVUNCULO DILECTISSIMO

A. STANJECK,

CIRCULI LEOBSCHUETZENSIS DECANO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Quamquam, si strictissime in voce haeremus, nulla fieri posse videtur scarlatina sine exanthemate, quum id apparens in summa cute indicium pathognomonicum sit, tamen singularis quaedam scarlatinae forma invenitur, quae eadem symptomata, desquamationem, eosdem, qui sequi solent morbos praebeat solo exanthemate excepto. Quapropter fuerunt viri artis medicae periti, qui prorsus eam formam negaverint, recentioris aetatis quisquilias dictitantes (1): fuerunt alii, qui negatam hanc sententiam probarint, si in scarlatinae epide-

(1) Lichtenstaedt.

mia singuli, qui ejusdem veram formam vicerint, praesertim contagione antecedente vehementiori faucium angina cum febri affecti fuerint; quod si ita se habeat, scarlatinae simillimam apparere formam cute non tam manifesto affecta (1). Attamen summis sententiis major virorum doctissimorum pars esse talem formam probat, in quibus Rosensteinius, Stollius, Cappelius, Reilius, P. Francius, Vogelius. Heimius praeterea observat, eam formam in aliis epidemiis perraro, in aliis saepissime apparere, in universum vero inter sex casus unum esse sine exanthemate. Cui hanc notam adjicit Eichelius: exanthema scarlatinae potissimum in talibus hominibus prorsus desideratum fuisse, qui sub divo multum versari soliti sint, et qui jam aetate provectiore fuerint. Nonnunquam eodem tempore plurium liberorum ejusdem familiae alios vehementissima tonsillarum in-

(1) Wendt.

flammatione affici, dum sicca et ardens sit cutis et febris gravissima, in aliis iisdem symptomatibus veram scarlatinae eruptionem apparere. Reilius in pluribus casibus postremo etiam squamulas ex cute decedentes invenit; P. Francius similiter aegrotantibus vel leucophlegmaticum tumorem ortum esse observat, talium aegrorum nonnullos postea a nova contagione tutos, alios denuo scarlatina affectos fuisse. Broussaisus exempla affert inflammationis cutis circumscriptae, phlegmonosae, quae exanthematis loco formata erat (1). Sundelinus omnino exanthema minime assiduum habet symptoma. Henningius in puella, quae simul cum pluribus aliis liberis infecta erat, nec exanthema formatum fuisse narrat, nec faucium anginam, sed vehementem solum tumorem circum laryngem ortum. Eo tempore, quod desquamationis stadio re-

---

(1) Quelquefois il est des individus chez le quels l'éruption n'a pas lieu souvent aussi un phlegmon extérieur termine la scène. Phlegm. gastr. pag. 270. 271.

spondebat, oriebatur tussis, qua magna copia membranosorum fragmentorum ejiciebatur. Postremo sequebatur universalis desquamatio epidermidis (1). Schwartzius Fuldensis observavit, matrem infantis, qui ex scarlatina convaluerit, faucium angina fuisse affectam cum proprio scarlatinae odore, quocum conjunctam fuisse levem febrim, nullum vero exanthematis indicium.

Inde casus qui observantur scarlatinae sine exanthemate ad tres reducendi sunt fontes:

1. Opportunitas ipsius morbi scarlatini prorsus non adest, sed priori toleratione paene deleta est. Effluvia eorum, qui revera scarlatina laborant, illos non aliter atque effluentiae miasmaticae afficere possunt, quod si fit, maximam partem levis tantum faucium angina oritur, ita ut nullo modo de scarlatina sermo fieri possit.

2. Scarlatinae contagium in certos ho-

---

(1) Hufeland Journal 1816. St. 19. S. 98.

mines vim habet hoc illove modo debilitatiorem, quapropter veluti primam morbi partem anginam tantum gignere valet. Cutis non tam certo, sed tamen saepe ita afficitur, ut desquamatio quaedam sequatur.

3. Pauca tantum scarlatini contagii opportunitas inest in homine, ut morbus partim modo formari possit. Indicia igitur in gravissima faucium angina consistunt, si focus inflammationis primum hic ortus, tantam habet vim, ut leviores radios morbi procedentis in se solum contrahat. Quae si ita sunt, exanthema prorsus abest, aut ejusdem formatio quin fiat, majoribus anomalis effici potest. Quum res ita se habet, aegrotantis conditio dubia et periculosissima est.

Quum autem mihi obtigerit, ut in valetudinario regio cohortis praetoriae equitum cataphractorum chirurgus custodiens, duce viro doctissimo Bieskio, hominem observarem, qui omnia scarlatinae symptomata excepto exanthemate praebuerat, hoc in opere confi-

ciendo, quomodo processerit scarlatina sine exanthemate demonstrare studebo, peculiarem semper meum observans casum.

SYMPTOMATOLOGIA.

I. Stadium irritationis.

Symptomata scarlatinae sine exanthemate adaequant symptomatibus scarlatinae cum exanthemate, quum id tantum discriminis intersit, ut neque stadium eruptionis, neque efflorescentiae observetur, interdumque stadium desquamationis non perspicue appareat. Aegroti queruntur gravitatis sensum, remissum totum corpus, capitis caligationem et vehementem frontis dolorem, cui saepe amarus gustus, nausea, vel ipse vomitus, horror levisque horroris sensus conjunctus est, quem vultus pallidus sequitur, unde etiam horror tremorque nascitur. Saepius horroris sensus cum fugaci calore mutatur, donec tandem calor superat. Hic plurime eximiam habet vim (1),

(1) Secundum Currie et Willan usque 112° F.

urit et inarescit, ac tantus fit in superficie volari manus, ut crusta lactea et similia exanthemata madefacere desinant (1). Pulsus quidem modo lentior, modo celerior, at maximam partem plenus, interdum subdurus, aliquamdiu duplex, contractus, ut inter 100—120 ictus variet, eodem modo quo pulsus peritonitidis. Huc accedere solet sitis, dolor capitis, qui pro calore crescente assidue augetur, vertigo ac sensus dolens artuum praecipue dorsi. Aegrotantibus magnus est languor magnaque inquies, liberis mirabilis quaedam somni inclinatio, ex quo angoribus excitantur.

Nocte apropinquante haud parva insequitur febris exacerbatio, summum ascendente cacumen calore, debilitas capitis crescit, deliria leviter intermittentia apparent, arteriae non aequis intervallis moventur; respiratio plus minus impeditur. Simul spectantur indicia

---

(1) Naumann's medic. Clinik.

colli affecti: os, lingua, facies sunt sicca, intenta, calida, deglutitio molesta, dolor anginae, sermo denique difficilis. Rubor primus saepissime instar linearum inflammatarum, quae quidem palatum molle versus et uvulam currunt, mox tamen undique confluunt. Heimius notat pituitae globulum in summis tonsillis graviter inflammatis ac rubefactis peculiarem hujus morbi proprietatem, quae tamen saepius abesse potest. Lingua plerumque alba crassa et glutinosa interdum quasi lignosa pituita obtegitur, quae simulatque remota est denuo formatur. Apud alios aegros observatum est, linguam fuisse ruberrimam, papillas erectas et quasi longiores factas (1), mediam lineam versus apparuisse tenuem pituitam, nonnunquam linguam fuisse tumidam. Praeterea tumor glandularum salivae, dolor glandularum lymphaticarum colli et cervicis, rigor colli, tempore vespertino raucitas, et asperi-

---

(1) Naumann's med. Clinik.

tatis quidam sensus in loquendo, interdum tussis sicca, minoris tamen momenti. Nares saepe aliquantisper rubefacti, pariter oculi, qui paullulum madidi vehementer urunt: alvus adstricta, urinae secretio parca in aliis aegris, in aliis assidua inest urinam faciendi inclinatio, quae tamen successu haud spectabili gaudet: ipsa vero urina rufa et odoris lixivio similis. Exhalatio aegri internosci solet peculiari quodam odore, quem Heimium constat contulisse cum odoribus halecini lixivii, casei vetusti, imprimis cum iis, qui circum feras carnivoras in cauponis observantur odoribus. Huic adjicit Pfeufferus, et effluvia scarlatina laborantium et alvi excretiones et ardentem, rubentem et lixivium olentem urinam similem habere odorem, atque aves si pennas mutant. Willanio auctore ii, qui effluvia scarlatina aegrotantium proximi spirant, interdum cuprum sulphuricum sapere dicuntur, posteaque taedium et pituitam auctam incedere. Sundelinus auctor est, scarlatinam eo salutarius

decurrere, quo fortior odor quem Heimius observavit, morbo ineunte sentitur. Febris plerumque remittens est, saepe intermittens, perraro continua. Interdum in hoc stadio notae apparent, quae periculum indicent; angor auctus et inquies, vehemens capitis dolor, deliria turbulenta, convulsus, venter suppressus, urina adstricta. Quae si ita sunt, fieri potest, ut mors velociter accedat. Jam repentinam exspectares exanthematis eruptionem, quae tamen, quum non appareat, symptomatum intensitas augetur, delirium fit vehementius, angina ad summum provehitur intentionis cacumen. Tonsillae eximie rubentes ac tumidae accipiunt sicut palati uvula, auctore Sundelino, speciem ruborem cinnabaris habentem et quasi fossam. Nonnunquam aphthae oriuntur, quae in ulcera decolora mutantur; nonnunquam inflammatione minori sudor lentus tenaxque frequenter secernitur, quocum conjuncta est salivatio foedi odoris, molesta deglutitio, vel ad suffocationem usque impedita

respiratio, apparente catarrho suffocativo. Hoc est morbi stadium, quo maxime, ne male eveniat, pertimescendum est.

II. Stadium desquamationis.

Hoc stadium quo tempore incidat in hac praecipue morbi forma nunquam certo potest praedici. At dicunt hunc majoris momenti processum vehementiores antecedere febris exacerbationes, quae eadem ipsa nocte luculento, alkali ammonium olente sudore finiuntur. Jam insequitur febris minuta, minuta angina, frequentior urinae secretio, quae modo rubellum modo album floccosum sedimentum puriformae speciei praebet, in quo ipsae squamulae inesse videntur. Cutis ardor cedit sensui cuidam convellendi, epidermis fit aspera, rugatur, caesium quendam ostendit colorem et postremo instar pulveris furfurosi et farinosi secernitur, quod quidem ita solet fieri, ut epidermis primum in collo, in pectore et in manuum palma rumpatur. At sequuntur etiam desquama-

tionem artuum dolores, membra difficultate moventur, cervicis affectio, rarius alvus periculosa. Cutis recens aliquot tempus tenerrima manet et omnes tactus imprimis vero quamque tempestatis mutationem sentit, ut saepissime iidem, qui scarlatinam cum exanthemate morbi possint insequi.

Symptomata aegri, quem in praefatione supradixi, sunt:

Aeger, cui subvenire jubebar, vigesimum primum annum agens, corporis robusti, ad vesperam in nosocomium delatus est. Quem quum magis anxie examinarem, magnam inveni in devorando molestiam, ita ut patiens duros cibos omnino deglutire non posset. Simul uvula erat rubefacta et aliquantisper tumida, pariter tonsillae et velum palatinum, vox rauca et aspera, respiratio velox et paullulum impedita, febris vehemens, pulsus frequentissimus (120 ictus in horae minuta) satis plenus et magnus, sed mollis, lingua valde rubefacta. Ad haec debilitas universalis, nulla

edendi cupiditas, denique omnia, quae ferre solet tanta febris intentio symptomata. Noctem aeger insomnem peregit, dolores praecipue colli questus. Ad mediam noctem pulsus frequentior factus erat decem ictibus, qua in conditione aeger quatuor dies manebat, donec frequentes insequerentur sudores, quibus haud exigue morbus remitteretur. Jam etiam atque etiam pulsus redibat in solitam normalitatem, dolores colli disparebant, remanebat vero diutius vocis quaedam raucitas: deinceps desquamatio veniebat narium, pectoris, superioris brachii, ita ut aeger optime se haberet, et postquam periculosum effugerat morbum ad officia posset redire.

Aetiologia ut in scarlatina cum exanthemate in tres dividitur partes:

1. Causa praedisponens posita est in peculiari quadam a diversis organismi partibus dependente hominum opportunitate, quae non in omnibus par, non quoque tempore eodem modo aucta est. Inveniuntur, qui nullo tem-

pore hoc morbo affecti fuerint, quamquam plures scarlatinae epidemias viderint. Liberi in universum majore praediti sunt receptivitate, quam homines adulti, praecipue vero flavi illi tenera ac laxa fibra. Neque vero contendi potest, receptionem deletam ac sublatam esse, morbo semel sustento, quamvis magna doctissimorum et peritissimorum medicorum pars, Frankius, S. G. Vogelius, Rosensteinius, Stieglitzius, alii, iteratam ejusdem hominis scarlatinam negent. Sed plurimorum auctoritas, et quidem praeclarorum virorum Neumanni, Odieri, Elverti, Jardini, Casperi, Wendtii, aliorum, multis probare videtur exemplis, fieri posse ejusdem hominis iteratam scarlatinam.

2. Causa occasionalis vel nititur miasmate propria constitutione epidemica orto vel contagio, quod excultum in alio in alium transiit ejusdem imprimis capacem.

3. Causa proxima ad tres potest sententias principales reduci, ex iisque repeti:

a) Inflammatio. Sydenhamium constat dixisse: »Hic morbus nil aliud mihi videtur, quam mediocris sanguinis effervescentia a praegressae aestatis calore aut alio aliquo modo excitata.« Mortonius scarlatinam vocat febrem inflammatoriam universalem. Auctore Wendtio epidermidis inflammatio magis erysipelatosa est, quam exanthematica, contagio autem instar catarrhi et urethrae blennorrhoeae. Pfeufferus inflammationem contendit oriri ex corpore papillario epidermidis. Goedenius dicit scarlatinae esse peculiarem quandam inflammationem materiae animalis, quae ex cutis venis incipiat. Pitschaftius magnam putat esse scarlatinae cum erysipelate affinitatem. Fuchsio scarlatina nihil aliud est atque erysipelas auctum et vehementius.

b) Nervorum affectio. Sundelino videtur varietas in formando nervorum systemate vel potius nervorum substantia, quae cum scarlatina conjuncta est, multo majoris et gra-

vioris esse momenti, quam in aliis exanthematibus. Simonius scarlatinam habet primariam gangliorum affectionem.

c) Quo modo morbus organice procedat.

Reichius principalem scarlatinae causam reproductionem epidermidis putat, ita ut veluti cutis mutandae rationem ostendat, quae cum annua pellis mutatione, cum reproductis capillis, pennis, corticibus multorum animalium comparari possit. Egertius contendit morbum ita specialiter progredi, quia id spectetur, ut epidermidis functione nimium quoddam discrimen adaequetur. Quod productione rubrarum sanguinis partium et absolute et relative nimis aucta nitatur. Praedispositionem scarlatinae eo fortiorem esse, quo aptius sit epithelium cerebri ad vitales sanguinis partes producendas. Foderé singula morbi indicia hoc modo studet explicare: »Peut-être plus volatil ençore, plus expansible, que les autres exanthèmes, celui-ci s'exhale-t-il principalement par la perspiration pulmonaire et

par la vapeur qui s'élève sans cesse des voies digestives, ce qui fait qu'il s'arrête d'avantage sur les membranes muqueuses et sur celle qui tapisse les organes de l'arrièrebouche.« — Attamen plerique viri clari iique praxi assidua edocti proximam causam perhibent inflammationem epidermidis et membranarum mucosarum internarum.

PROGNOSIS.

Prognosis, si omnino postulatur, nulla nisi dubia esse potest, quum saepe quidem tam bene procedat morbus, ut animum modo intendere necesse sit, ut aeger convalescat, saepe tamen in eadem epidemia atque eadem in familia tanta appareat asperitate, ut plures prima ipsa nocte oriantur. At semper scarlatina animum anxietate quadam eventus afficit, quapropter cavendum est, ne etiamsi prosperrime decurrat morbus nimis secura ponatur prognosis, quae tamen quo specialior, eo magis laudanda. Haec vero potissimum spectari debent:

1. Intentio febris tutissimus summique momenti modus est prognoseos, inprimis febris quaeque continua, vehemens, pulsibus volantibus, cute arida, ardente, quae quamdiu sine remissione durat eadem intentione, omni modo periculosa est et eventum minatur lugubérrimum. Haud minus metuendi sunt praematuri, frequentes sudores, qui prorsus morbi naturae sunt oppositi. Si febris typhosa fit, aegri solent desipere intra verba, sopore capi, tremere membris et alia sentire, quae quantopere affectum sit, sensorium indicant. Jam maximo in periculo sunt: quod si vero febris putridam malignam spirat, in qua pulsus impares vix numerari possunt, epidermis ardentissima est, vultus fessus, distractus, lingua squalida, nigra et sicca et excrementa colliquativa fiunt, extremae vero corporis partes frigidae, ad ultimum morbi stadium progressi sunt aegri, quo mortem occumbunt.

2. Anginae intentio in scarlatina sine exanthemate plerumque vehementissima est, quae

quo fortior, eo magis pertimescenda est. Si rubor ad pharyngem usque extenditur et tonsillae ita tumescunt, ut respiratio impediatur, apoplexiam cerebri metuas. Faustius omen putatur, si inflammatio in suppurationem vertitur, quamquam tuta prognosis inde poni non potest. Tonsillarum indurationem si accommodate tractas, timere noli. Quod si tamen ulcera nigra et putrida oriuntur, aeger moritur gangraena frigida, quamquam singuli inveniuntur casus feliciores, in quibus febris moderata est et periculum aeger effugit.

3. Stadium. In universum in hac scarlatinae forma stadium primum magis est timendum, quam desquamationis stadium, quo tempore etiam morbi insequentes periculosissimi fieri possunt.

4. Aetas. Complicationes, quae insunt in corpore et cum scarlatina congruunt et constitutio annua. Liberi maxime obnoxii sunt scarlatinae, puellae saepius, pueri vehementius, lactantes rarius quidem, sed maximo cum pe-

riculo. Liberos quintum et octavum agentes annum Schraderus maxime pati dicit. Minatur illis quidem eo tempore, quo dentes novos accipiunt, plurime scarlatina, quae etiam verminis periculosissimam quandam conjunctionem ac varietatem inire potest. Pfeufferus auctor est, liberos a scrophulis, rhachitide, scabie, syphili affectos scarlatinam facilius sustinuisse, contra eos fere occubuisse, qui habitum phthysicum habuerint. In universum validi, sani, succulenti liberi difficilius, quam infirmi morbum perpetiuntur. Adulti homines vehementissime affici solent, in gravidis scarlatina semper metum periculi movet, certe abortus vix vitari potest, at puerperae mortem solent occumbere. Quod ad prognosin attinet aegri, quem supra dixi, profecto dubia prognosis erat ponenda, quam paene bonam appellare potueris. Nam etsi febris intenta, angina vehemens et primae noctes insomnes erant, tamen symptomata, quae enumeravimus periculosa illa non aderant, quibus mala efficitur prognosis.

CURANDI RATIO.

Quum in curanda scarlatina sine exanthemate, eadem medicis quae in scarlatina cum exanthemate sanandi sit ratio, universo tantum modo eam tractabo. In simplici bona scarlatina medendi ratio simplicissima esse potest. Aegrum retineas per aliquot tempus in lecto, praescribas ei vel aucta edendi cupiditate exiguum non edibilem victum, praecipias potum acidulum, refrigerantem, alvum quotidie solvas. Videndum praeterea, ne conclavis tempestas quintum decimum Reaumurii gradum supergrediatur. In modica angina gargarismata plerumque non sunt necessaria. At semper id tenendum est, ut aeger per aliquot hebdomata in conclavi remaneat. Si vero scarlatina majoris est intentionis, princeps indicatio est, caput servare librum, cerebri affectiones arcere vel coercere. Jam antiphlogisticam medendi rationem ingrediare, sanguinis exhaustiones, quas Wendtius inprimis commendavit et quidem, si febris in-

tentio adest, duro plenoque pulsu, moto spiritu, magno ardore et si sanguinis quidam ad nobiliores partes impetus apparet. Quae quum ita se habeant, sanguis missus sacra est anchora, cui et aeger et medicus prorsus confidant: hirudines medicinales adhibeantur in fronte vel pone aures. Salia neutralia praecipue kali nitricum, tartaricum, aceticum, citratum, tartarus natronatus, magnesia sulphurica haec a Wiechmanno et Stieglitzio commendata. Hydrargyrum muriaticum mite a multis principale habetur remedium, idque tali dandum ratione, ut ter quaterve venter aperiatur. In gastrica complicatione vomitoria commendant in primo stadio Stieglitzius, Foderejus, Tissotius, Stollius, alii. Medici Americae septentrionalis solent curationem vomitorio inire, cui vero vehementissime oppugnat Wendtius, qui ea noxia putat. Aquis tepidis saepe utuntur, ut eruptionem festinent, qua aut forma retrogressa revocetur aut desquamatio levetur, aut

consecutivum oedema tollatur. Medicamenta sudorem moventia eo magis sunt noxia, quo major est cutis inflammatio, et quo densius organon affectum est. Utantur itaque in stadio desquamationis frigore et primus quidem id adhibuit Gregoryus, Reilius et Currieus, qui aegro in vacua vanno sedenti aquam frigidam de capite super corpus nudum superfundere aliquoties quotidie jubet. Haud secus commendant Wedekindius et Kolbanyus, qui frigus summi momenti in curanda scarlatina putat, cui quodammodo dissentientes accedunt Stieglitzius, Mostius, Reussius, alii. Wendtius eo non utitur, nisi forma inflammatoria intentione et infelici quadam diatheseos versione in sensibilem transiit sphaeram, vel ut dicere solent solemni sermone, si morbus in cerebrum se jecit, ubi lethargia, sermones stulti, sensus obstupefacti et apoplexiae periculum est metuendum. Quae si ita sint, vel aquae frigidae superfundantur, vel glaciei tegimentum saltemve fri-

gida fomenta capitis tonsi vel lavationes frigidae per totum corpus adhibeantur, ut quam celerrime affectiones cerebro minantes retrudantur. Stadium inflammatorium si vero asthenicum fit et nervosum, vel si ab ipsa origine asthenicum est, pergendum est cum frigore, quamquam in curatione interna de ratione antiphlogistica non amplius sermo esse potest. Jam apta sunt acida mineralia et remedia excitantia, inter quae incipiunt valeriana, serpentaria, praeparata aetheris et ammonii et ascendunt ad camphoram, usque moschum vel etiam phosphorum. In angina vehementissima sanguisugae optime valent, sed simul adhibendae sunt infusiones kali nitrici cum decocto hordei, sambuci, malvae floribus et althaeae radice et aliis. Quod si ulcera colli adsunt, accommodatae sunt lentae et purgantes infusiones salviae, boracis, mellis rosati etc. Si vero inflammatio in gangraenam mutatur, duce Hufelandio primum vomitoria, tum antiseptica, roborantia et excitan-

tia remedia quam maxime sunt adhibenda, ut china, serpentaria, vinum, acida mineralia. Extrinsecus admoveantur injectiones et penicillis eadem remedia imponantur, calce chlorinica, vaporibus aceti et myrrhae. Haud minoris momenti est frigus, aqua glaciei saepius hausta, glaciei sacculi in ore positi.

Curatio aegri, quem supra dixi, erat simplicissima. Primum patienti praecepi kali nitricum, tum, quia obstructionem alvi querebatur, magnesiam sulphuricam. Simul diaeta maxime exigua fruebatur, cibis plerumque mucosis et parca carne, bibebat deinde calidam limonadam. Quum angina vehementissima esset, quindecim sanguisugae collo imponebantur, quibus aeger magna affectus est levatione: praeterea injectiones decocti althaeae et malvae. In stadio desquamationis utebatur liquore ammonii acetici, ita ut quatuor hebdomata in nosocomio regio moratus prorsus validus ac sanus dimitti posset.

VITA.

Ego Eduardus Rehmet, confessioni addictus catholicae, natus sum die VI. m. Septembris a. MDCCCXII. in pago Silesiae superioris, quem Kreiwitz dicunt, patre optimo Josepho Rehmet et matre carissima e gente Stanjeck, quibus viventibus adhuc gaudeo. Primis litterarum rudimentis imbutus anno MDCCCXXIV. gymnasium petii Nissense, quod tunc temporis directore Cl. Scholz florebat. Per septem annos ibi versatus examine, quod vocant abiturientium, rite absoluto, maturitatis testimonio dimissus a. MDCCCXXXI ab Ill. Wachler t. t. rectore magnifico numero civium universatis Viadrinae Vratislaviensis adscriptus, nomen apud Ill. Benedictum medicorum ordinis prodecanum maxime spectabilem sum professus. In hac alma litterarum sede hasce audivi praelectiones, quibus exponebant: Ill. Steffens physicen, Ill. Klose encyclopaediam doctrinae artisque medicae, Ill. Glocker mineralogiam, Ill. Gravenhorst zoologiam, Ill. Henschel elementa

botanices, Ill. Otto osteologiam et syndesmologiam, anatomen corporis humani, exercitationes anatomico-practicas, methodum sectiones forenses rite instituendi, anatomen comparantem, pathologicam hominis et brutorum, historiam foetus, Ill. Fischer chemiam theoreticam et practicam, pharmaceuticam, doctrinam de reagentibus sic dictis, Ill. Goeppert demonstrationes botanicas cum excursionibus, Ill. Purkinje physiologiam specialem et experimentalem, pathologiam generalem et toxicologiam, Ill. Benedict chirurgiam generalem et specialem, una cum operationibus chirurgicis ad cadavera institutis, doctrinam de fasciis et instrumentis chirurgorum, Ill. Wendt materiam medicam, doctrinam de cholera asiatica, de thermis et fontibus medicatis Germaniae, Ill. Remer therapiam febrium intermittentium et therapiam specialem.

Tum Berolinum me contuli, ubi in universitate Friderica Guilelma ab Ill. Strauss t. t. rectore magnifico inter cives academicos anno MDCCCXXXIV. receptus ab Ill. Busch t. t. medicorum ordinis maxime spectabili decano, medicinae studiosis adscriptus, hosce viros disserentes audivi: Ill. Busch de selectis capitibus artis obstetriciae, Cel. Casper de morbis infantium, Cel. Eck de therapia generali, Cel. Troschel de vulneribus et ulceribus, Ill. Bartels de Hippocratis aphorismatibus. Etiam interesse mihi contigit scholis clinicis: Ill. Busch obstetriciis, Ill. Bartels et Cel. Wolff medicis, Ill. Rust chi-

rurgicis, Cel. Truestedt medicis et chirurgicis, Ill. Juengken ophthalmiatricis.

Quibus omnibus viris illustrissimis, celeberrimis, experientissimis, optime de me meritis, maximas quas habeo ago gratias semperque ago. Ut legi reipublicae satisfacerem, per annum in equitum cataphractorum ala praetoriana medici inferioris ordinis munere functus sum, quod ad officium persolvendum insigni superioris medici doctissimi Cel. Bieske gratia sum adjutus, imprimis cum per tres menses in nosocomio hujus alae versarer.

Tentaminibus vero et philosophico et medico atque examine rigoroso coram gratiosa facultate medica superatis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Tracheotomia in angina membranacea est rejicienda.
2. Fomentationes frigidae sunt maximi momenti in scarlatina curanda.
3. Certa prognosis febrili morbo poni potest nulla.
4. Opium nocet infantibus, qui nondum primum annum peregerunt.

Praeceptori

dilectissimo, humanissimo

summeque

venerando et

colendo

Professori Nitzsch

Rohde, Jul. Alex. Ferd.

6

reverentiae signum

D. D. D.

auctor discipulus.